



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam  
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac  
subsídium

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1685**

§. 4. De Ambitione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

cer tibi (ut ajunt, ) magis moritur ipse. Ita est, Fratres. Non videntes necat inanis gloria, cæcos & negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt, & non potiùs ipsi aspiciunt: Non attendunt, non discernunt illam, non vident denique, quàm sit frivola, quàm caduca, quàm vana, quàm inutilis. Si quæ eum intueatur hoc modo, moritur hic Basiliscus, non jam occidit eum gloria, sed occiditur magis, & occidit ei quomodo in pulverem versa, imò redacta in nihilum.

V. Quartum est, ut sapienter cognoscat, quæ vera gloria, & quomodo acquirenda; ea scilicet, de qua S. Paulus locutus est, dum dixit: Qui gloriatur in Domino gloriatur. Quid autem sit in Domino gloriari, clarè insinuat alibi, dum ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiarum nostrarum, quòd in simplicitate & sinceritate DEI, & non in sapientia carnali, sed in gratia DEI conversati sumus in hoc mundo. Hoc enim est, quod ipse DEUS per Jeremiam dixit: In hoc gloriatur, qui gloriatur, scire & nôsse me. Sapienter ergo S. Bernardus conclusit: Virtus major gloriæ est; sola enim est, cui gloria jure debetur. Quæ autem est sine virtute gloria, profectò indebitè venit, & propter affectatur, periculosè captatur.

#### §. IV.

##### *De Ambitione.*

I. Est dignitatis & honoris inordinatus appetitus; per hoc enim differt à Superbia, quæ Excellentiam incommuni: & à vana Gloria, quæ laudem indebitam immoderatè appetit. de qua tria specialiter scienda sunt.

Ascete,

Ascetæ, Natura scilicet, Indignitas, & modus curandi.

II. Natura in eo consistit, ut aliquis honorem velit sibi, & non DEO in ipso, exhibendum appetat, eo ferè modo, quo Mulus olim in solemnè supplicatione, Isis DEÆ effigiem portans, & homines ante se prosterni videns, sibi honorem illum exhiberi putavit, ideòque ab Agasone in ventre fodicatus audivit: Non tibi, sed Isidi.

III. Indignitas ex eo patet quòd ejusmodi Homines ambitiosi omni titulo, ob quem honor exhiberi solet, careant, virtute scilicet, quæ sola, ut ait S. Bernardus, Mater gratiæ est; Sola enim est, cui gloria jure debetur, securè impenditur; quæ autem sine virtute est gloria, profectò indebitè venit, properè affectatur, & periculosè captatur. Hinc jam olim Romani duo templa ædificarunt Honori & Virtuti. Sed ita, ut per Virtutis templum priùs transeundum esset illi, qui in Honori templum intrare vellet, ut hoc pacto ostenderent, solam virtutem esse viam ad verum honorem, & meritò, quia, cum honor sit externa testificatio internæ bonitatis, bonitas autem à sola virtute habeatur, rectè infertur, solam virtutem esse radicem & Matrem gloriæ & honoris.

IV. Modus curandi in eo consistit, ut & vilitas honoris & gloriæ humanæ perpendatur (nam ut S. Chrysostomus ho. 43. ad Pop. ait, *nihil hominum gloriâ vilis; dic enim mihi, si Puerorum parvulorum videas multitudinem, lactentium dico, numquid ab eis gloriâ concupisces? sic ergo erga cunctos Homines dispensaris propter gloriâ*) & exitus illius consideretur, uti idem Sanctus hortatur, l. c. dum ait: *Cogita, cientes gloriâ*

gloriam concupiscis, quòd eam sis assecutus, & discenem, & nihil invenies. Cogita, quantam ea res habeat iacturam, quot & qualibus bonis prives. Labores quidem sustinebit, & pericula, fructibus autem privabitur, & certaminum proemiis.

## §. V.

## De Hypocrisis.

I. Est Simulatio, quâ quis se justum simulat, vultu justiore, quàm sit. Unde S. Basilio teste, Hystrix vocatur Hypocrita, quia vitam suam velut in prosecutione ad ostentationem componit, aliud in corde gerens, aliud in specie oculis hominum oculis præferebat; de quo vitio tria præcipuè scienda sunt Ascetice.

II. Primum est, quàm infestum sit non modò secularibus Personis, sed Religiosis etiam & Perfectionis studium profitentibus, & quidem tantò magis, quòd magis sciunt, suæ professioni proprium esse sanctitatem profiteri. Certè S. Hieronymus aperte dixit: Quamvis alijs vitijs carere possimus, Hypocritas tamen maculam habere non posse, aut paucorum est, aut nullorum. Nec dissentit S. Augustinus dicens: Quàm multos Hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis, circumeuntes Provincias omnes petunt, omnes exagunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulate pretium sanctitatis. Voluit (ut S. Bernardus alicubi distinctiùs explicat) humiles esse sine despectu, patientes sine defectu, patientes sine tribulatione, obediētes sine coarctatione, pœnitentes sine afflictione, virtuosos sine labore, abstinentiam præferre, & passim deli-